

in causa, quia quod est infallibile in causa, non potest non evenire, posita illa; ergo hæc infallibilitas non potest esse in ipso auxilio secundum se spectato, tanquam in causa. Et inde concluditur debere esse in præscientia, quia in effectu futuro, priusquam fiat, non potest alius modus infallibilitatis cogitari, ut est per se notum. Rursus hæc præscientia in præsentia non potest esse absoluta, quia præscientia absoluta futuri consensus gratuiti supponit auxilium efficax, et voluntatem Dei dandi tale auxilium ad talem effectum, ante quam voluntatem debet præcedere secundum rationem hæc infallibilitas, ut Deus, non quasi casu, sed per se, et ex propria intentione, intelligatur dare auxilium efficax, ut efficax est; ergo necesse est ut illa infallibilitas præcedat in scientia conditionata, qua Deus prænovit tale auxilium, si detur tali voluntati, in tali opportunitate futurum esse illi ita congruum, ut omnino sit illi consensura; talis ergo est infallibilis connexio auxilii efficacis cum suo effectu.

7. *Duæ sunt principales partes sententiæ auctoris, una negativa, altera positiva.* — Hæc est sententia nostra de auxilio efficaci, breviter et summatim proposita, quæ duas principales continet partes: unam negativam, scilicet, non posse consistere in vi quam ex se, vel ex decreto prævio vel absoluto voluntatis Dei habeat, prædeterminandi physice voluntatem humanam ad consensum; alteram positivam, qua efficacitas ejus dicto modo explicatur. Et hæc posterior pars, præter rationes adductas, concluditur a sufficienti divisione ex priori, quia non potest alius modus infallibilitatis et efficacitæ cogitari.

CAPUT XXII.

DUABUS OBJECTIONIBUS CONTRA SUPERIOREM DOCTRINAM SATISFIT.

1. *Ad quatuor capita reducuntur objectiones contra præcedentem resolutionem.* — *Primum.* — *Secundum.* — *Tertium.* — *Quartum.* — Contra superiorem resolutionem multa obijciuntur, quæ ad quatuor capita reduco. Nam imprimis videntes contrariæ sententiæ defensores, si vocatio congrua, prout a nobis explicata est, possibilis sit, enervari maxime positionem physice prædeterminationis, persuadere conantur illud genus efficacitæ non esse possibile, et quia illa supponit dictam præscientiam, in hoc maxime insistent ut ne-

gent Deum esse præscium futurorum contingentium sub conditione in seipsis, nisi præcedat aliquod decretum prædeterminationem physicam in conditione involvens, in qua cognosci possint. Et rationes quibus hoc probare conantur, sunt præcipuæ objectiones eorum contra doctrinam positam; illis tamen satisfactum a nobis est in Proleg. 2, ubi duo ostendimus: unum est, conditionatorum contingentium præscientiam non posse Deo negari, secundum Scripturas, doctrinam Patrum, recitantesque rationem; aliud est, decreta conditionata ad talem præscientiam admittenda non esse, quia in multis divinæ bonitati repugnant, ut in actibus peccatorum, in aliis non decent Deum, utpote supervacanea et otiosa, in omnibus vero eadem repugnantia cum libertate creata quæ in physica prædeterminatione invenitur; sic ideo de hoc primo genere objectionum nihil nobis dicendum superest. Aliud caput objectorum sumitur ex necessitate auxilii, seu concursus prævii causæ primæ in secundam ante concursum imbibitum in ejus actione, de quibus satis dictum est in lib. 3, sub finem. Tertium caput sumitur ex auctoritate Scripturæ, Conciliorum, Patrum, aliorumque Theologorum, de quibus per varia capita sigillatim dicere decrevi, ac distincte, quia res est magni momenti, multumque interest novam ab antiqua doctrina discernere, quod non potest vel brevi vel confuso sermone fieri. Quartum caput objectionum ortum est ex nonnullis incommodis, vel etiam erroribus, quæ, ex nostra sententia, vel male intellecta, aut sinistre explicata inferuntur, et nobis tribuuntur, quibus in hoc capite et sequenti breviter satisfaciemus, quia occasionem amplius sententiam nostram declarandi habebunt.

2. *Prima objectio.* — Primo igitur obijciunt, quia ex nostra sententia sequitur efficax auxilium non physice, sed moraliter tantum efficere consensum voluntatis nostræ. Consequens est absurdum; ergo. Sequela patet, quia vocatio, quantumvis congrua, solum est gratia excitans, quæ, ut nos supra docuimus, non efficit physice consensum; ergo si auxilium efficax in sola vocatione congrua consistit, non efficit physice consensum. Hoc autem esse absurdum patet, quia in nobis non tantum desunt vires morales ad efficiendos actus supernaturales, sed etiam physice, quia superant activitatem physicam libero arbitrio naturaliter inditam; ergo oportet ut auxilium efficax de quo Augustinus dixit, *dare vires ef-*

ficacissimas voluntati, det utrasque vires, non tantum in genere moralis principii, sed etiam physici.

3. *Respondetur.* — Respondemus nunc nobis non esse controversiam de principio physice adjuvante ad præstandum consensum, omnes enim fatemur principium aliquod esse necessarium. Nos autem diximus illud (quidquid sit) tale esse, ut detur voluntati prius natura quam consentiat, relicta in ea potestate ad non consentiendum, seu non operandum per tale principium, etiam in sensu composito, id est, ad componendum simul cum illo principio, et tota gratia præveniente, negationem consensus. Ex quo etiam concedimus, et ita esse dicendum sentimus, et fieri posse, et sæpe etiam fieri, ut voluntas habens sufficiens principium gratiæ tam morale quam physicum ad consentiendum, non consentiat. Qua veritate supposita, ad argumentum respondetur, distinguendo primum consequens ex parte efficacis auxilii. Aut enim sub efficaci auxilio comprehenditur totum auxilium gratiæ necessarium in actu primo ad eliciendum liberum pietatis actum, et cum omnibus requisitis ut infallibiliter jungatur actui illum eliciendo, vel præcise intelligitur nomine auxilii efficacis aliqua motio actualis et prævia, quæ proxime inducit voluntatem ad consensum. Priori modo nego sequelam, quia auxilium efficax includit totum auxilium sufficiens, et hoc non tantum morale principium agendi, sed etiam physicum comprehendit, ut dixi. Posteriori autem modo, loquendo de auxilio efficaci, concedo sequelam, nam ubique Augustinus non aliter explicat illam motionem, nisi per internam suasionem et affectionem, ut ex locis proxime citatis in secunda assertionem constat, et plura alia postea inferemus. Neque ratio facta in contrarium procedit de auxilio efficaci in hoc posteriori sensu sumpto, sed in priori, neque ulla alia cogitari potest cur sit necessarius alius modus agendi, nisi fortasse propter prædeterminationem physicam, quam non admittimus.

4. *Ante actualem effectum consensus duo tantum auxilia prævia sunt necessaria; et quænam illa.* — Ut autem hoc amplius declaratur, adverto ante actualem effectum consensus duo tantum auxilia prævia esse necessaria. Unum est illud quod dat voluntati potestatem physice eliciendi consensum; aliud est quod Deus allicit et trahit eandem voluntatem ad libere eliciendum eundem actum. Illud prius datur, verbi gratia, homini justo per virtutes

voluntati infusas, dant enim potestatem physice sufficientem ad eliciendum suos actus, si velit; hoc vero posterius dat Deus per auxilia excitantia, quæ simul dant moralem potestatem, sine qua simul cum physica non potest fieri actus, et utrumque horum est necessarium ad auxilium sufficiens, et a fortiori ad efficax, ut sæpe dixi. Potestque circa hæc adverti, secundum modum connaturalem operandi, potestatem physicam supponi ad moralem excitationem, quia nemo excitatur, nisi ad id quod potest velle. Unde quia homo ex solis viribus liberis non habet potestatem physicam, saltem integram, ad efficiendos actus supernaturales, ideo, ut homo excitetur quasi connaturali modo, supponi debent habitus infusi, per quos integra potestas physica ad eliciendos hos actus datur vel completur. Quia vero hi habitus nec sunt naturales, nec debiti nostris potentiis, propter quod, secundum ordinem divinæ providentiæ, ut adulti illos recipiant, debent ad illos per proprios actus disponi, quod sine prævia excitatione facere non possunt, ideo necessarium est ut mutetur quasi connaturalis ordo, ita ut homo prius excitetur, quam physicam et internam potestatem operandi habeat, sed tantum quandam ejus inchoationem vel capacitatem. Hoc patet infidelibus qui alliciuntur ad fidem, antequam habeant internam virtutem infusam, et in peccatoribus qui ad poenitentiam excitantur. Et ideo tunc, ne excitatio frustra fiat, vel ad rem impossibilem, necesse est ut cum ipsa excitatione detur aliquo modo potestas physica ad actum eliciendum, ad quem voluntas excitatur; sive hæc potestas physica detur per ipsosmet actus gratiæ excitantis, juxta opinionem dicentium illos esse principia physica consensus quando præstatur; sive detur per aliquam aliam qualitatem supernaturalem simul cum excitatione datam modo quodam transeunte, ita ut non amplius permaneat in voluntate, quam ipsa excitatio daret, nec plus etiam determinet voluntatem ad consensum, quam excitatio ipsa, sed solum veluti præsto adsit potentiæ ad coagendum illi, sicut adest habitus, ut alia opinio non improbabilis tradit; sive talis potestas detur immediate ab ipso Spiritu Sancto, qui simul ac excitat hominem, præsto illi adest, et quasi sese offert ad juvandam voluntatem ejus, et cooperandum illi, ut per amicum possit quod per se non potest, ut nobis in tertio libro probabilius visum est. Quicumque igitur ex his modis verus sit, sufficit ut consensus non detur sine

principio physico supernaturali per se et proprie efficiente actum consensus cum voluntate, quando ipsa vult, concurrente simul Deo ut causa universali per auxilium simultaneum, qui etiam est per se ac physicus, etiamsi non sit prædeterminans; ergo ob necessitatem physici principii, neque est necessaria prædeterminatione, neque illud principium negant, qui physicam prædeterminationem non agnoscunt.

5. *Secunda obiectio.*—Secundo obijciunt instando contra dictam solutionem; duo enim efficit gratia in nobis; primum est, quia antecederet nos facit velle et facere, juxta illud: *Deus est qui operatur in nobis velle*; et illud: *Faciam ut in preceptis meis ambulatis*, et similia; secundum est, quod nobiscum operatur ipsum velle, juxta id Joan. 15: *Sine me nihil potestis facere*; et illud Corinth. 15: *Non ego, sed gratia Dei mecum*. Utrumque ergo horum facit Deus per veram ac physicam efficientiam, quia sola moralis metaphorica est et impropria; et ideo Theologi qui melius sentiunt, tribuunt humanitati Christi Domini in miraculosis operibus, et sacramentis in effectione gratiæ, physicam efficientiam, et non tantum moralem, ut proprietatem verbi *faciendi* veramque causalitatem sacramentorum tueantur; ergo similiter in præsentem utrumque eorum tribuendum est Deo, et gratiæ Dei, per veram et physicam efficientiam. At vero, in responsione data ad præcedentem objectionem, recte quidem salvatur propria efficientia physica in secundo effectum quem posuimus, scilicet, quod Deus nobiscum operetur ipsum velle, hoc enim facit per gratiam concomitantem; non tamen salvatur primum, scilicet, quod Deus faciat nos velle, proprie ac physice faciendo ut velimus, quia, si hoc facit per solam gratiam excitantem, non physice, sed moraliter tantum id facit; ergo ut id etiam vere ac proprie faciat, necessarium est auxilium physice prædeterminans; ergo sine tali auxilio non salvatur proprium auxilium efficax, cujus proprius effectus est, ut Deus per illud nos velle faciat, proprie et physice hoc in nobis efficiendo. Et confirmatur, quia, ex nostra sententia, sequitur aliquid supernaturale a nobis et in nobis fieri quod non sit ex gratia physice operante, quod admitti non potest. Sequela probatur: quia cum Deus facit nos facere, dat nobis hoc, quod est facere, quod aliquid supernaturale est; ergo si ut faciat nos facere, non operatur physice, sed tantum moraliter, etiam non dat nobis agere supernaturale physice, sed moraliter.

6. *Respondetur.*—Ad objectionem, imprimis dico Deum, cum facit ut faciamus, vel ut velimus, antecederet, seu prius natura quam nos faciamus, aliquid in nobis efficere omnino proprie physice ac per se, quod satis esse posset ad eam proprietatem et rigorem locutionis, quem arguens desiderat. Assertionem autem facile probamus, quia Deus facit ut velimus præparando voluntates nostras per suas internas illuminationes et affectiones; has vero Deus facit in nobis, immediate per seipsum efficiendo illas in intellectu et voluntate, tanquam principalis et vera causa physica; ergo ut faciat nos facere, aliquid physice in nobis operatur. Quod non potest ita facere homo vel Angelus quando sua virtute nominem moraliter movet, suadendo, aut consulendo, vel tentando.

7. Deinde hinc fit ut illud auxilium quod Deus interius imprimat ad præparandam voluntatem, aliquo etiam modo physico hominem moveat, excitet et inclinet. Nam si illa Dei operatio sit in intellectu, ipsum formaliter afficit, et illuminat, ac facit attendere; causalitas autem formalis vera et physica est. Et præterea illud auxilium voluntatem inclinatur et attrahit aliquo modo, etiam ante consensum, excitando in illa simplices affectiones timoris vel amoris, non liberis, sed necessariis, ad quas probabile est concurrere effective mentis illustrationes, seu supernaturales cogitationes proprie ac physice, et licet solum concurrant finaliter movendo, etiam causalitas finalis est suo modo physica et propria, et omnis causalitas solet verbo *faciendi* generaliter significari. Illa vero affectio seu motio indeliberata, quæ tunc excitatur in voluntate, et a Deo physice fit, etiam inclinatur formaliter voluntatem, et in eo genere physice, ac per se, et ita allicit voluntatem ad consentiendum, et quantum est de se facit illam consentire cum omni proprietate quæ in tali modo causandi esse aut intelligi potest. Quia vero non imponit necessitatem voluntati, potest nihilominus non sequi effectus consentiendi, et tunc clarum est non posse dari causalitatem physicam effectivam consensus, cum ille non fiat. Quando vero consensus sequitur cooperante libero arbitrio, etiam tunc physice operatur gratia, sive per ipsosmet motus gratiæ excitantis, sive per aliquod principium physice effectivum consensus, quod cum illa datur, ut declaravi.

8. Nihil omnino ergo deest, quominus cum proprietate dicatur Deus facere ut faciamus, non minus quam dici possit cum physica præ-

determinatione. Quia conferendo motum gratiæ excitantis, et motionem illam præviam inter se, utraque fit a Deo proprie et physice, et utraque afficit voluntatem, et suo modo formaliter illam inclinatur, et per neutram illarum facit Deus ut faciamus adæquate, et complete, ut sic dicam, seu formaliter, donec nos ipsi liberam actionem prædicemus, et tunc jam intercedit novus influxus physicus Dei, et gratiæ ipsius in consensum, sive ille fiat cum prædeterminatione, sive absque illa; ergo non minorem efficientiam physicam habet gratia Dei in uno modo quam in alio. Solumque invenitur differentia, quod efficientia gratiæ per motionem physice prædeterminantem talis est in actu primo, ut non relinquat liberam cooperationem voluntati, sed necessitate quadam illam extorqueat, quæ non solum est physica, id est, vera ac per se, et per realem influentiam, sed etiam est physica, id est, naturalis, ac necessaria, ac repugnans libertati. At vero efficientia gratiæ per vocationem congruam, et dantem simul vel supponentem principium physicum consensus, quo voluntas possit uti et non uti arbitrio suo, et est physica quando fit, et antequam fiat consensus, cum physice in ipsum agere non possit, est causa moralis, qualis oportet ut consensus libere sequatur. Unde ad objectionem in forma respondetur, primo, negando minorem, quia utrumque illorum quæ in argumento distinguuntur, fit vere et physice a Deo, quantum fieri oportet, imo et quantum fieri potest, salva libertate.

9. Ad majorem vero explicationem, dici secundo potest quod actus consentiendi, et est quid physicum, et est quid morale, ut libere fit, et utroque modo facit illum Deus, et facit ut a voluntate fiat tam physice quam moraliter cum omni proprietate, et sine metaphora. Diverso tamen modo, nam, ut est quid physicum, fit physice ac per se, et immediate a Deo cum actu influit in illum; ut autem est quid morale, per se ac proprie fit a Deo morali modo per inductionem et tractionem moralem voluntatis. Unde, ad veritatem et proprietatem illarum locutionum, non est necesse fingere quod, prius natura quam nostra voluntas suum concursum præbeat, Deus physice flectat illam et determinet; hoc enim non fit physice, nisi cum jam voluntas seipsam flectit, et consentit; prius vero natura solum antecedit moralis inductio, suadendo et inclinando voluntatem. Nam, licet hæc inductio fiat per reales motus factos a Deo physice, tamen respectu futuri consensus solum habent causalitatem

moralem, et per illos dicitur Deus trahere voluntatem ad consensum cum omni proprietate, ad quam sufficit causalitas moralis, quia unusquisque effectus suæ propriæ causæ tribuendus est, quia causalitas moralis in suo genere vera et propria est, et effectibus moralibus accommodata. Et ita exposuit illas locutiones Augustinus citatis locis, tribuens semper vocationi vel inspirationi divinæ, quod per illam faciat Deus nos velle, ut in locis proxime citatis videre licet. Estque testimonium optimum in lib. de Corrept. et Grat., cap. 2, ubi prius ait gratiam Christi esse per quam fit omne bonum: *Non solum ut, monstrante ipsa, quid faciendum sit sciant, verum etiam ut, præstante ipsa, faciant cum dilectione quod sciunt*. Declarans vero quæ sit hæc gratiæ per quam hoc Deus facit, adjungit: *Hanc quippe inspirationem bonæ voluntatis, atque operis, poscebat Apostolus eis quibus dicebat: Oramus autem Deum ne quid faciatis mali*. Et eodem modo exponit illam causalitatem Prosper., 2 de Vocat. gent., et plura ex Patribus inferius afferemus.

10. Quapropter non est simile quod affertur de efficacia sacramentorum; nam effectus gratiæ, ut fit a sacramentis, est physicus, non moralis; et ideo, si non habent causalitatem physicam, non possunt habere veram causalitatem, sed metaphoricam, quod secus est in præsentem. Sermones enim debent rebus accomodari juxta materiæ capacitatem. Et hinc etiam est quod in præsentem materia Patres semper exponant antecedentem tractionem, seu inductionem gratiæ per moralem modum, ut allegavi, et plura in capitibus sequentibus allegabo. De sacramentis autem vel humanitate Christi Domini non ita loquuntur, sed simpliciter illis tribuunt potestatem, causalitatem et effectionem. Et nihilominus etiam in eis non est certa illa causalitas physica, sed adeo probabiliter defenditur, quia sine inconvenienti potest salvari, et alioqui moralis in illa materia nec necessaria est, nec potest esse nisi valde metaphorica. At vero in præsentem materia, moralis causalitas est propriissima, et per se necessaria ad moralem consensum, ut etiam auctores oppositæ sententiæ fatentur, et alioqui physica efficientia sufficienter illi conjungitur eo modo quo a nobis explicata est, et major non solum non necessaria ostenditur, sed etiam habere videtur repugnantia incommoda libertati et sufficientiæ gratiæ; est ergo longe diversa ratio. Ad confirmationem autem negatur sequela, qui quando Deus facit

nos facere, ita ut cum effectu faciamus, etiam facit physice nostrum facere, et ita nihil habemus quod non sit ab ipso physice et proprie; facit autem nostrum facere non solus, sed faciendo nobiscum. Non enim quidquid Deus nobis donat solus ipse facit, sed quædam donat faciendo nobiscum juxta Concilium Arausicanum, et Augustinum.

CAPUT XXIII.

SATISFIT ALTERI OBJECTIONI, ET A VARIIS INCOMMODIS DOCTRINA DATA VINDICATUR.

1. *Altera objectio.* — Altera objectio, sæpius repelita contra nos, est, quod ex nostra sententia sequitur, vel potius quod asseramus, prius natura nos efficere determinationem nostram, quam Deus physice nos adjuvet: consequens est absurdum. Quod variis propositionibus nobis attributis ostendunt. Et imprimis F. Davila tres potissime inter alias ponit. Prima est: *Quod liberum arbitrium suis viribus inchoet opus pietatis, ut opus inceptum gratia promoveat et consummet*; secunda: *Partem aliquam operis pii fieri a libero arbitrio solo, partem a Deo, et illam, quæ est a libero arbitrio, esse priorem*; tertia: *Habere hominem aliquid per solum liberum arbitrium, quo se discernit*, etc.

2. Secundo, Petrus Cabrera, eandem doctrinam nobis attribuens, primo sententiam nostram his verbis refert: *Asserunt voluntatem prius se determinare ad operandum in actibus liberis ex vi suæ libertatis, et sufficientis auxilii, quam Deus concurrat per auxilium efficax.* Ex quo principio has propositiones infert: prima est: *Itaque Deus voluntatem jam determinatam adjuvat, ut talem actum perficiat*; secunda: *Secundum istam sententiam, voluntas constituta in actu primo per auxilium sufficiens, reducitur ad actum secundum se sola, et per seipsam.* Statim vero addit: *Sed ad eam reductionem concomitanter concurrat auxilium efficax.* Tertia: *Itaque in hac opinione hæc propositio est vera, quia voluntas se determinat ad hunc actum, et contraria est falsa.* Et tamen subdit quod, licet negemus concursum Dei esse aliquid prius datum voluntati jam constitutæ in actu primo, quo applicetur, et reddatur potens ad operandum, nihilominus docemus illum concursum esse immediatum influxum in actionem simul cum libero arbitrio, et quod concursus Dei per auxilium efficax, neque tempore neque natura antecedit concursum voluntatis ad eandem

actionem, *sed influxus liberi arbitrii et auxilii efficacis a se mutuo pendent, et simul omnino sunt, et in eandem numero actionem.* Infert autem hic auctor illas propositiones, non tanquam inconvenientia, quæ ex nostra opinione sequantur, sed tanquam sententiæ quæ a nobis asseruntur. Ego autem, ne iudicem voluisse nobis falsum imponere, illa refero tanquam illationes contra nos factas et objectas. Et in fine illius paragraphi, num. 109, me solum refert tanquam illius doctrinæ assertorem, in disp. 22 Metaph., sect. 2, et l. 1 de Auxil., cap. 5, et lib. 2, cap. 7 et 8.

3. *Alvarez.* — Tertio, eandem nobis in summa objicit Alvarez, nam disput. 22, num. 11, in fine, ait nos appellare determinationem Dei condeterminationem, et addit: *Sed verius dixissent postdeterminationem, cum revera in eorum sententia determinationem creatæ voluntatis ordine naturæ subsequatur*, quod in disp. 99 se probaturum promittit; in illo autem loco non probat, sed supponit nos asserere has tres propositiones causales esse veras: *Quia homo operatur, Deus operatur; Quia homo vult consentire, ideo adjuvatur; Quia homo vult converti, ideo gratia excitans transit in adjuvantem, seu cooperantem.* Et his suppositis, in eas invehitur tanquam in assertiones Semipelagianorum quas Prosper et Hilarius ad Augustinum detulerunt, de quibus ipse contra Semipelagianos maxime disputavit.

4. *Cumel.* — Quarto, eodem plane modo de me sentit Cumel, dicto lib. 1, disp. 4, in principio; § Certe, ubi me sentire dicit, *Deum expectare influxum voluntatis humanæ, prævidendo ipsum per scientiam mediam, antecedenter ad influxum suum divinæ gratiæ, et ad ejus etiam concursum.* In quibus verbis solum pondero particulam illam *antecedenter*, nam reliqua, quæ ad præscientiam conditionatam pertinent, superius tractata sunt; de altera vero sententia, quod Deus expectet influxum nostræ voluntatis, infra dicendum est. Expressius vero, eadem disput. 4, sect. 3, post primam conclusionem, sic inquit: *Videntur nonnulli auctores hujus ætatis sentire quod Deus et gratia illius solum tribuunt initium justificationis remotum, videlicet, primam excitationem, hominem vero, supposita illa excitatione, incipere prius natura liberam conversionem, per quam proxime et immediate præparatur ad gratiam, et posterius natura, quia voluit homo consentire, Deum velle hic et nunc adjuvare illam, simultaneo concursu.* Et postea me solum allegat, confertque inter se varia verba mea.

Item inferius, post secundam conclusionem, sub tit. *Aperitur campus*, etc., § Sane, sic argumentatur: *Si efficia auxilii et gratiæ actualis Dei proveniret ex nobis, sola autem sufficientia esset ex Deo, sequeretur, quod principale est, in nostra conversione, tribuendum nobis esse.* In qua argumentatione videtur particulam assumere *ex nobis* exclusive, alias frivola esset argumentatio. Unde satis declarat exclusivam cum dicit: *Sola autem sufficientia esset ex Deo*; supponit ergo nos hoc docere vel hoc sequi ex nostra sententia.

5. *Ledesma.* — Quinto, P. Ledesma, art. 15, prius de nobis omnibus, quos ab schola et doctrina D. Thomæ relegat, solum ait quod negemus Deum prius natura efficere in nobis consensum quam nos illum faciamus: *Sed ad minus, inquit, tenent quod debent esse simul prædeterminatio et præmotio Dei et etiam creaturæ, quæ quidem secundum istos non debet esse prædeterminatio neque præmotio.* Et ad hoc ostendendum, inferius multa ex libris nostris adducit. Et nihilominus ibidem subjungit aliquos ex nostris dicere, *quod voluntas creata prius natura prædeterminat se ad ipsam operationem, supposito divino auxilio sufficiente, quia sine prædeterminatione efficacis auxilii ipsa voluntas elevata per auxilium sufficiens potest seipsam applicare, et prædeterminare prius natura, et tunc veluti subsequitur divina operatio.* Et citat solum Molinam, referens fideliter ejus verba ex Conc., pag. 186, hoc est ad q. 14, a. 13, disp. 29, § ult., et ex eis colligit Molinam aperte significare quod, *supposito auxilio sufficiente et præveniente, ipsa voluntas libere se applicat et movet prius natura ad opera supernaturalia, et Deus tunc cooperatur cum ipsa voluntate; cæterum in ordine ad effectum naturalem neutra istarum est prius altera.* Quomodo autem id ex verbis Molinæ colligat, non declarat, neque invenio unde id colligere poterit.

6. Circa hanc objectionem, adverto nonnullos Theologos absolute concedere, tam in operibus gratiæ quam naturæ, voluntatem nostram prius natura influere in suum actum, quam Deus in illum inflat per generalem vel specialem concursum. Ita tenet Cordova in Quæstion., lib. 1, quæst. 55, dub. 8, et late id explicat dubio 10, versus finem, et refert pro hac sententia Gregorium, in 1, distinct. 38, art. 2, ubi tamen solum ait cum Okam voluntatem nostram non determinari a voluntate divina efficienter illam prædeterminante. At vero in 2, disputat. 37, artic. 3, ad 8, dicere

videtur quod Deus, in suo concursu, sequitur determinationem voluntatis, et causalem illam admittit: Ideo Deus agit talem actum, quia illum voluntas agit, et non ideo voluntas agit, quia Deus agit. Sequitur Lorea, disp. 38 de Peccatis, et disp. 30 de Grat.

7. Hæc vero sententia nobis non probatur, et sæpe in superioribus rejecta est, quia cum omnis actio liberi arbitrii, in quocumque signo naturæ consideretur, essentialiter pendet a concursu Dei, impossibile est quod vero et proprio ordine naturæ, seu causalitatis, præcedat actio liberi arbitrii, vel quod sit causa vel ratio ob quam Deus in illam influat. Quod in re fatetur etiam Gregorius supra, ubi locutionem corrigit, dicens non esse intelligendum, quod prius natura voluntas aliquid agat quam Deus, proprie loquendo de prioritate naturæ, sed solum quod voluntas humana, influens in talem actum, sit quodammodo ratio et motivum ob quod voluntas divina determinet suum concursum ad eundem actum. Et idem fere vult Cordova, distinguens tria signa rationis, in quorum primo voluntas divina se determinat ad concurrendum cum voluntate humana ad quemlibet actum; in secundo, illa generalis voluntas Dei determinatur ad talem actum, et ad exercitium ejus futurum; in tertio, utraque voluntas simul coagunt talem actum. Hæc autem omnia necessaria non sunt, nec rem declarant, sed obscuriorem reddunt. Prius ergo natura et æternitate antecedit voluntas Dei offerens concursum simultaneum, et postea in tempore utraque voluntas simul tempore et natura operantur eundem actum; neque est necessarius ullus ordo vel causalitas inter utramque causam vel influxum earum, ut in lib. 3 de generali concursu naturæ et gratiæ dixi. Eademque ratio est de actuali influxu proximi principii gratiæ cum voluntate supernaturalem actum eliciente.

8. *Respondetur ad objectionem.* — Ad totam ergo illam objectionem tria dicimus: primum est illam doctrinam, et propositiones quibus explicatur, adeo esse a nostris scriptis alienas, ut contrariæ formaliter et expresse in eis habeantur. Id ostendo imprimis ex eisdem locis meorum librorum quæ in contrarium allegantur; nam in Metaph., disp. 22, sect. 2, nihil eorum reperietur quæ Cabrera allegat; imo, in num. 54, in fine, attingens punctum de ordine prioris et posterioris natura inter influxum causæ primæ et secundæ, illius resolutionem remitto in sect. 3, ubi, num. 10, ostendo non inveniri talem ordinem, sed esse